



1723.

1. Faber, Will. Laurentius: De jure molendi monachorum.
2. 28 mif. 1723 - 1748.

2. Feltray, Iohannes Henricus: De immediate J.R.T.
nobilitatis antiquitate, potestate, dignitate

3. Gobel, Th. Theobald Antonius: Resolutio capitinis
54. 10 de appellacionibus et quendam ex iure nat.
genit. et circuli corollaria.

4. Salzmann, Th.: De luxatione ossis femoris et
riore, frequente calciffractura.

1724.

1. Drey, Iohannes Andreas: De proclaimata Camerali.

2. Lentz, Ioh. Franc. Anton: De reorcatione
ministrorum.

3. Voigt, Ulras: De obligacionibus ex facto alieno.

1727.

1. Fruehlich, Johannes Thomas: De acquisitae facie
sub collectae clausulae condicioneis
testimonis.

~~1728~~

- ~~1. Beck, Janus Ernestus: De collegio electorum aucto-~~
~~quibus a collegio principium separato. Rec. 1742.~~

2. Linckius, Terentius Iherhardus: De in sufficiosa
donatione

1728

1. Beck, Janus Ernestus: De collegio electorum ad aucto-

~~quibus a collegio principium separato. Rec. 1742.~~

2. Nicolai, Ludov. Christian: De contractu vitalicio, quo
annui redditus ad dies vitae comparantur.

3. Reichmannus, Johannes Augustus: De eo, quod justus
est in causis pauperum. Rec. 1728.

1728.

1. Wiederholdt, Iosephus Bartholomaeus: *De iudicio et ordinationibus.*

1731.

1. Hartmanns, Ludovicus Bartholomaeus: *De vacante curia et Almanach.*

1732.

1. Maire, Ludov. Matthias: *Analysis 113. Cod. arbitrium tutelarum*

1733.

1. Le Fevre, Hermannus Adolphus: *De legis in genere motione.*

1734

1. Fuchs, Bandus Josephus: *De resonante sonatione ab supervenientiam liberorum*

1735

1. Froehslerius, Jo. Lennhardus: *De charlatanica theologia logorum. Oratione.*

1736.

1. Bruch, Fridericus Daniel: Observaciones quaedam practicæ de radice fructicis juniperi decocto.

1737.

1. Nauviale, Petrus Josephus Balbina: De totula materna
2. Freilinger, Ioh. Christianus: De S. R. I. principe Justitiae et rerum Electoratum socelariam possessore.
3. Fugler, Ioh. Martinus Guilelmus: De artibus compendiosis . . .

taus

1/20

p20

DISPUTATIONE FRIDICA

IVVENTUS IN DI

FORVM

DE MATERIA MEDICINA

ET MORBIS HUMANIS

ATQUE

DIAGNOSI

ET THERAPIA

HUMANARUM

MORBIVM

ATQVE

TRI

ATQVE

DIAGNOSI

ET THERAPIA

HUMANARUM

MORBIVM

ATQVE

TRI



p. 179

873. 3.

4

4723. 3.

DISSE^{B.} TAT^{C.} IURIDICA
IN AVGVRALIS,
CONTINENS
RESOLUTIONEM
CAPITIS LIV. X.
DE APPELLATIONIBVS,
EX JVRE NAT. GENT. ET
CIVILI COROLLARIA,

SUB DIVINIS AVSPICIIS
IN REGIA ARGENTORATENSIVM
UNIVERSITATE
EX DECRETO ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS
SINE PRÆSIDE

PRO LICENTIA
Summos in Utroque Jure honores

Et Privilegia Doctoralia
rité Consequendi

SOLENNI CENSVRÆ DOCTORVM
Die 12. April. 12. Horis locoque consuetis submittet
JO. THEOBALDV ANTONIVS GOBEL,
Ecclesiæ Collegiatæ Thannensis Canonicus Presbyter.
ARGENTORATI,
Literis GEORG. ADAMI PIESCKERI, Vniverſ. Typogr.

*VIRO REVERENDISSIMO
ATQVE
CLARISSIMO DOMINO,
DOMINO
IO.BAPTISTÆ
HAVSS.*

*SS. THEOL. D. PROTONOTARIO APOSTOLICO, CATHEDRALIS ECCLESIAE BASELENSIS CANONICO, CELSISSIMI
S. R. J. PRINCIPIS ET EPISCOPI
BASILEENSIS IN SPIRITALIBVS
VICARIO GENERALI,
CURIAEQUE EJUSDEM EPISCOPALIS
OFFICIALI UNDIOVAQUE DIGNISSIMO
MERITISSIMO QVE,
PATRONO AC DOMINO SVO
GRATIOSISSIMO*

Felicitatem atque Salutem perennem!!

874.

**REVERENDISSIME VIR,
DOMINE ET PATRONE
GRATIOSISSIME!**

Multa quidem meam incitare debuissent verecundiam, ne TE, VIRVM Sanctissimis negotiis occupatissimum, publica hac scriptione compellarem. Sunt tamen etiam magna, quae verecundiam summae, quam tanto Mæcenati Evergetæque debo, gratitudini locum concedere jussrunt. Mentem quippe inflammavit incredibilis & prope divina Reverendissimæ TVÆ Dignitatis humanitas & cœlesti pectore digna Benevolentia, qua fidelissimos Gentis nostræ animos, ad nutum TVVM erexitissimos, me vero cupidissimum reddidisti, publico demonstrandi documento,

cumento, me nil nisi obsequium **TIBI**, quoad vivam,
sacratum spirare. Accipe igitur, Domine Gratiissime!
chartaceum quidem, sed omni marmore perennius devo-
tionis meæ pignus, atque publicum hoc submissionis meæ
monumentum, ne asperneris, humillimè efflagito. Cui enim
magis potuissent studia mea dari, dicari, dedicari, quam
VIR O sanctissima Pietate, integerrima Justitia atque
omnis generis Eruditione exornatissimo, beatæ denique,
si qua in his terris me mansura est, sortis meæ fonti lim-
pidissimo. Deus **TE** seruet salvum, sospitem atque inco-
lumem, in summum Celsissimi Præsulis & Domini nostri
Clementissimi Delicium, in illibatum Ecclesiæ nostræ florem,
sacræque Justitiae pariter ac Disciplinæ, quam in tota Diœ-
cesi, ut optimus **OPTIMI EPISCOPI** Vicarius
exerves, fortissimum Præsidium. Vale & Favere perge

VIR REVERENDISSIME,
DOMINE GRATIOSISSIME

TVO AD CINERES
VSQVE DEVOTISSIMO
CLIENTI

Jo. THEOBALD. ANTON. GOBEL.

875.



*Analysis Cap. 54. X. de
Appellationibus.*



Alutare remedium
contra sententiam Judicis
inferioris datur multiplex.
Spectat huc *Appellatio*, qua
ob gravamen contra jus
parti illatum a judice inferiore provoca-
tur ad judicem superiorem, ut sententia
gravans reformatur. Pars appellans stu-
diosé debet observare formam præscrip-
tam, ne appellationi renuntiassè videa-
tur; sed & Judex, ad quem appellatur,

A

jus

ius habet impediendi, ne vel inferior iudex attentatum committat, vel pars imprudenter aut injuste titubet aut variet. Trahi huc potest *Cap. 54. X. de Appellacionibus* quod Inclytæ Facultatis Juridicæ permissu solenni Censuræ submittam.

§. II.

Authorem hujus Capitis, seu Decretalis Epistolæ video esse *Innocentium III. Pontificem Romanum*, qui Pietate, Eruditione, Prudentia atque Justitia præ plurimis Sedis Apostolicæ Antistibus eminuit. Natus est Anagniæ in Familia Comitum de Conti, ex qua etiam nuper pie defunctus Papa *Innocentius XIII.* fuit. Sub eo Dominicanorum & Franciscanorum Ordo confirmatus est, in Concilio Lateranensi, Anno 1215. Ad Solium Pontificale pervenit Anno Christi 1198. & mortuus est Anno Christi 1216.

§. III.

870

—) 3 (—

§. III.

Hanc Epistolam Decretalem, quam
jam resoluturus sum, ad Episcopum Pa-
risiensem An. Ch. 1213. transmisit. Sum-
ma ejus ita legitur. *Si appellans ad Su-
periorem, comparet coram judice inferiori
super concurrentibus (concernentibus) ip-
sam Appellationem, ipsi Appellacioni renun-
tiare videtur. Si autem protestetur, quod
propter hoc non intendat, renuntiare Ap-
pellacioni, tanquam contraria allegans non
est audiendus, nisi notorium sit, actum il-
lum esse injustum, super cuius emendatio-
ne adiit Inferiorem.*

§. IV.

Dividitur hoc Caput, in Casum, &
inde resultantes Quæstiones, earumque
Decisiones.

A 2

§. V.

§. V.

Casus hic est. Sunt duo, qui coram Episcopo litigant, quorum alter ab Episcopo aut condemnabatur, aut à petitio- ne removebatur. Ipsa enim Lis, de qua speciatim quæstio erat in Capite nostro, non determinatur. Actor vel Reus putans se Episcopali sententia esse gravatum ad Apostolicam Sedem, suam interpolavit Appellationem. Episcopus, appellan- tem, quia contumaciter & temere cum provocasse arbitrabatur, excommunica- tionis vinculo innodavit. Ægre hoc tulit Excommunicatus, itaque, ut excom- municationis vinculum seu effectum im- pediret, ad Metropolitanum seu Episco- pi superiorem sese convertit, petiitque, de Episcopo sibi justitiam exhiberi, pro- posuitque, se propter gravamen legitime ad Summum Pontificem appellasse, proinde se injuste ab Episcopo esse excommunicatum.

Eum

Eum in finem ergo efflagitavit, ut ad eum statum, in quo fuerat tempore Appellationis à Metropolitano reduceretur atq; absolutus denunciaretur. Adjecit etiam, quod hoc ipso, quod à Metropolitano tanquam judice inferiore auxilium exposcatur, non velit appellationi objectæ aut propositæ renunciare, sed hoc non obstante eam prosequi prætendat. Cum autem in his omnibus multa viderentur præter & contra ordinariam Juris formam esse peracta, Episcopus autem Parisiensis, qui forsitan Apostolicæ sedis *in Partibus* delegatus fuit, inconsulto Pontifice nihil decidere ausus fuerit, ad Papam Innocentium III. rem omnem detulit, & ab eo decisionem dubiorum suorum expectavit.

§. VI.

Quæstio enim PRIMA erat, *An Metropolitanus, tanquam judex in hac causa*

A 3 inferior

*inferior, possit de hac Excommunicatione
post interpositam ad Papam appellationem
cognoscere.*

*SECVNDA, An non Appellans, qui in
hac causa Metropolitanum adiit, suæ Ap-
pellationi tacite renuntiaverit?*

*TERTIA, An non illa præsumptio ta-
cite renunciationis cesseret, si verbo vel fa-
cto appellationem se velle prosequi, proteste-
tur Appellans?*

S. VII.

Ante omnia autem Quæstio gene-
ralis tractanda est, *an Episcopus potuerit
Appellantem excommunicare?* quod qui-
dem primâ fronte negandum esse videtur,
quoniam qui appellat, non peccat; jure
enim suo utitur, qui beneficio à lege per-
misso frui conatur. Jam autem Benefi-
cium appellationis legitimum esse reme-
diū, nemo negaturus est. Cui accedit,
quod talis Episcopus videatur Pontifica-
lem

lem Majestatem lēdere, dum eum à communione Ecclesiæ excludit, qui ad caput Ecclesiæ confugit, ut sibi justitia adminis-
tretur.

§. VIII.

Verum uti alias in Jure Civili, Jure Canonico distinguendum est, inter litigantem temerarium, & non talem, ita etiam distingui potest utroq; jure inter frivolum & temerarium, & ex probabili causa Appellantem. Hic non potest puniri, ille vero temerē litigantium pœnæ subjacet in Jure Civili, & Jure Canonico excommunicari potest. Nam Episcopis imprimis facultas concessa est excommunicandi eos, qui contumaces extiterunt. Contumax autem & frivolē appellans pari passū ambulant, tot. tit. X. de Dolo & Contum. vid. quoque Cap. 6. b. t. ubi dicitur, quod in notoriis non admittatur appellatio, cum Appellationis reme-
dium

dium non sit ad defensionem iniquitatis institutum. Verum, an quæ in textu nostro habetur Appellatio frivola fuerit nec ne? in Judicio Superiori decidendum fuit. Nos autem de justitia appellationis istius judicare non possumus, quia materia litis ibi non recensetur.

§. IX.

Pergamus jam ad quæstiones speciales; Quod primam quæstionem attinet, videri posset, Archi-Episcopum de hac excommunicatione bene potuisse judicare; Cum enim post Appellationem interpositam hæc excommunicatio facta fuerit, inde patet, novam esse illatam injuriam; ergo nova querela videbatur opus fuisse l. si mater ff. & eandem, de except. rei judic. Verum, & si nova injuria sit, pendet tamen ex præcedenti facto; neque enim posset de ea cognosci, nisi cognosceretur de Appellatione, an frivola sit, nec ne.

879

19 (3.

ne. Nam si frivola pronunciaretur, teneret Excommunicatio, si non frivola, non teneret. Unde Archi-Episcopus, quia semel causa principalis ad Papam devoluta erat, de hoc accessorio judicare non potuit separatim, & si id fecisset, Episcopus qui excommunicationis sententiam tulit, potuisset appellare, ne Archi-Episcopus cognoscat, utrum justa excommunication fuerit, nec ne. Sed hoc intelligendum est de casu, ubi notorium non est, Appellantem injuste excommunicatum esse. Nam si notorium est, quod mandatum Episcopi indiscretum fuerit vel injustum, cui non teneretur subditus obediens, ac per consequentiam Archi-Episcopo liqueat, evidenter subditum legitime provocasse; potest tunc Archiepiscopus auctoritate Metropolitana, i. e. Vi Officij judicis nobilis, declarare subditum irrationabiliter extitisse anathematis mu-

B

crone

crone percussum, hoc autem fieri potest
absque ulla appellationis instituta cogni-
tione.

§. X.

Ad secundam quæstionem, an scilicet Excommunicatus post appellationem accedens judicem inferiorem tacite renuntiet appellationi? Respondet Pontifex distinguendo; Aut appellans secundum formam præscriptam hanc querelam introduxit coram Archi-Episcopo, aut non: si illud fiat, Metropolitanus ad cognoscendum de causa potest interponere partes suas, cum ob formam præscriptam observatam censeatur Juri appellationis prosequendæ tacite renuntiasse: si secundum formam præscriptam id non fiat, causa manet in judicio appellatorio. Licitum autem est judicio appellatorio renunciare, dummodo id faciat.

ciat secundum leges, nec in præjudicium superioris judicis, aliaj judex superior semper poterit apud se causam retinere.

§. XI.

Quo ipso via sternitur responsioni ad Quæstionem tertiam. Nam si, uti in hac quæstione supponitur, petens ab Archi - Episcopo , ut sententiam excommunicationis reformat, id petuisse dicat salva appellatione ad Papam interposita, non erit audiendus , contra juris formam enim hoc peteret , & repellendus esset, tanquam sibi contrarius, & adversa petens. Impossibile enim est, ut causa excommunicationis ab Archi-Episcopo examinetur , & causa principalis non tangatur. Causa enim principalis hîc est fundamentum accessoriaræ causæ,

B 2

scilicet

scilicet excommunicationis, jam autem
sine fundamento causa tractari non potest.
Illud autem ipsum, an juste appellatum fue-
rit à sententia Episcopi, nec ne? decidet,
an justè appellans fuerit excommunicatus,
nec ne? unde protestatio hæc appellan-
tis, tanquam facto contraria nihil opera-
tur, & tanquam nihil operans, causam ac-
cessoriam Excommunicationis, causæ
priacipali appellationis immediate cohæ-
rentem, ad Archi-Episcopale judicium
separatim trahere non poterit. Ad Ob-
jectiones in ipso conflictu respondebo.

§ XII.

Nota tamen 1. Excommunicationem
hic intelligi majorem. Licet enim tam
atrox crimen Ecclesiasticum non videatur,
contumaciter abesse, aut contumaciter
appellare; attamen est Textus notabilis in

Cap.

Cap. 59. X. de Exc. sententia, qui dicit, Excommunicationem simpliciter latam intellegi de majore. Hæc tamen Excommunicatio hodie post Concilium Trident. contra contumaces tum demum adhiberi potest, si aliis remediis locus esse nequeat dict. Conc. Trid. Sess. 25. de Reformat. c. 3. ENGEL Coll. Jure Can. ad tit. X. de Dolo & Contumacia.

§. XIII.

Porro, quia periculum est, ne post interpositam appellationem Excommunicatus durante excommunicationis vinculo diem obeat supremum, talem appellantem, si malitia vel temeritas ejus non esset notoria, aut probabilis ratio, cur contumax non fuerit, afforet, ad cautelam à Superiore Episcopi, si id petierit, absolvi potest & debet *Cap. 40. X. de Sent. Excomm.*

B 3

§. XIV.

§. XIV.

Sed etiamsi non petierit absolutio-
nem, causaq; Excommunicationis, sc. con-
tumacia, post interpositam appellationem
notorié falsa est , attentatum erit , quod
utique ab Episcopo revocandum. Penden-
te enim appellatione nihil innovandum,
& propterea excommunicatio lata post
appellationem non tenet, nec absolutio-
ne ista à Superiore , ad quem appella-
tum opus est ; Interposita enim appella-
tione principale cum accessoriis ad Ju-
dicem appellationis devolvitur, qua pen-
dente Judicis inferioris manus & potestas
ligatur *Vid. Cap. 55. X. b. t.*

§. XV.

Discimus porro ex hoc Capite; Posse
aliquem contra Juris Civilis tenorem ap-
pellare per saltum , id est , omisso inter-
medio Judice ad Papam appellare. Nam
hic

882.

15 (3)

hic omisso Metropolitano ad Papam statim appellatum fuit. Imò dictum est à Papa, Metropolitanum in hac causa non posse post semel ad se interpos. appellationem cognoscere. Quæ quidem appellatio privilegiata est, & solum Pontificem concernit, non vero alios Superiores. Nec enim Jure Can. omisso Diœcesano ad Archi - Episcopum appellari potest.
Cap. 66. X. b. t. Et quamvis sint Doctores, qui nostrum, aliasque Textus ad casus peculiares & quidem uti *GVIDO PAPÆ decisione 221. n. 5.* ad Casum, quo exceptio judicis intermedii opposita non fuit, & *CVJACIVS ad Cap. 66. X. b. t.* ad territorium Romanæ Ecclesiæ restringunt, attamen in Praxi hæ distinctiones & restrictiones non sunt admissæ. Partim enim Textus noster & alii de his Exceptionibus silent partim etiam plenitudo Apostolicæ potestatis aliud fusat.

Pontifex

Pontifex quippè Summus concurrentem
cum omnibus Judicibus inferioribus pot-
estatem habere dicitur. Quod vero De-
cretum , à Congregatione Cardinalium
A. 1587. promulgatum , & per Pium V.
Concilii Trid. interpretationi præpositum,
attinet, illud certos beneficiorum casus tan-
git ; Verum est , in his causis appella-
tionem à Priore & Abbatे ad Provincia-
lem , à Provinciali ad Generalem , ab
hoc ad Protectorem , ab eo ad Sanctam
Congregationem fieri debere , sed restri-
ctionem hanc ultra terminos Bullæ exten-
dendam non esse recte judieavit *L T N.*
C K E R V S de Grav. Extraj c. 5. Sect.
2. &. 3. n. 4. & seq. Specialia enim ex
generalibus , non vero generalia ex
specialibus explicanda sunt.



COROL.

883.

COROLLARIA

EX

JURE NAT. GEN.
TIVM ET CIVILI.

I.

Bellum inter Christianos
licitum est.

II.

Jus in re & Jus ad rem
est inventum Juris Civilis.

C III.

III.

Potestas in liberos Jure Naturæ etiam competit Matri.

IV.

Jure Naturali consensus parentum non est necessarius ad nuptias.

V.

Fur est verus Possessor.

VI.

Differt justus Possessor à bona fidei possessore.

VII.

8d4.

VII.

Possessio est præsumptio Do-
minii.

VIII.

Querela inofficiosi Testa-
menti tunc demum competit,
si justa causa ex Novella 115. ad-
dita ab herede scripto contra
expresse exheredatum probari
nequit.

IX.

Legitima titulo Institutionis
relinqui debet.

C 2

X.

X.

Non tamen est necessarium,
ut tota legitima titulo Institu-
tionis relinquatur. Nam reli-
quum petitur Actione ex-
pletoria.

T A N T V M .



Straßburg, Diss., 1723-39

ULB Halle
002 491 648

3



4
Sb.

Farbkarte #13



B.I.G.

873. 4
873. 3

C. D.
 ATIO JVRIDICA
 VGVRALIS,
 CONTINENS
 UTIONEM
 TIS LIV. X.
 LLATIONIBVS,
^{QVÆDAM}
 NAT. GENT. ET
 COROLLARIA,
^{QVAM}
 INIS AVSPICIIS
 GENTORATENSIVM
 IVERSITATE
 VSTRIS JCTORVM ORDINIS
 NE PRÆSIDE
 LICENTIA
Troque Jure honores
vilegia Doctoralia
é Consequendi
 NSVRÆ DOCTORVM
Horis locoque consuetis submittet
 SANTONIVS GOBEL,
Hannensis Canonicus Presbyter.
 NTORATI,
 MI PIESCKERI, *Vnivers. Typogr.*